



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

1. De mutatione status secularis in statum religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

tur. Seneca. Nemo nostrum ferre potest impetū vitiorum: magno impetu venientium. Si modicum fermenti totam massam corrumpit, quanto magis multum fermenti eam corrumpet? Valde difficile est bonis, si sint inter malos, cum ipsi pauci sint, & habeant ascendere, contraire multitudini malorum, quæ quasi infinita est, & impetuose descendit. Ideo multum eis necesse est elongari ab eis. Ne coneris contra ictum fluij.

2. Corint. 5.

Eccl. 4.

INCIPIT SECUNDA PARS HVIVS libri, quæ tantum continet vnum capitulum: in quo incitat ad gaudendum de mutatione status secularis in statum religionis.

Quem Dei misericordia de mundo eduxit, si diligenti consideratione prædicta attendat, consequens est, vt de commutatione facta non pœniteat, sed valde gaudeat. Vtilis commutatio transeunti de tenebris ad locum luminis. Dulce lumen, & delectabile oculis videre solem. Vtilis commutatio, cum mundus fallax pro Deo fidelissimo deseritur: cum bona temporalia modica in breui amittenda, meliorum impeditiua, pro maximis in æternum mansuris relinquuntur. Vtilis transitus de loco pressuræ & laboris, ad locum pacis & quietis. In mundo pressuram habebitis: in me autem pacem. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c. Nō habent pacem amatores mundi: qui mala pœnæ fugiunt, quæ non effugiunt: & bona fugientia sequuntur. Vtilis transitus à loco pleno periculis, ad locum securitatis. Qui

Eccl. 11.

Ioan. 16.

Matth. 11.

de mundo transit ad claustrum bene ordinatum, gaudere debet: sicut illi qui per arcam à periculo diluuij fuerunt liberati: & sicut Loth ab incendio Sodomorum saluatus fuit; & sicut filij Israel gauisi sunt, cum seruitutem Pharaonis & exercitum eius euaserunt: & sicut pueri à fornace ignis Babylonica fuerunt liberati. Qui mundum pro Deo reliquerunt, si id pro quo reliquerunt, viderent, non pœniterent, nec se deceptos esse crederent. Dicitum est de Ninie, quæ tenet figuram mundi: Qui viderit te, resiliet à te: dicitum est de muliere forti: Gustauit & vidit quoniam bona est negotiatio eius. Simile est regnũ cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Qui nunc tristatur, labore & malorum perpeffione regnũ emendo: gloria-bitur illo obtento. Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur.

Nam. 3.

Pro. 6. 11.

Matth. 13.

Pro. 26.

INCIPIT TERTIA PARS PRIMI LIBRI, quæ monet vt eductus de seculo, nec corde, nec corpore ad seculum redeat. In cuius primo capitulo ostenditur, quòd reditus ad seculum multum sit timendus.

CAPVT I.

Multum timendum est ei, quem Dei bonitas de seculo eduxit, ad illud redire corde vel corpore: ante professionem, vel facta professione. De reditu post professionem;